

Officia Propria  
DIŒCESIS AUGUSTANÆ  
Tomus Prior

Die 15 decembris  
**S. ADELHEIDIS**  
**Imperatricis, Viduæ**  
**III classis**

**AD MATUTINUM**  
**Bened.** Ad societátem.

**Lectio III**

Adelhéidis, Rudólfi secúndi Burgundiónum regis filia sanctóque Udalríco epíscopo consanguinitáte coniúncta, marítio Lothário, Langobárdiæ rege, præmatúre defúncto, graves perpéssa est insectatiónes. Ex Berengárii custódia restitúta libertáti, Ottóni imperatóri coniugáta, a suis æquálibus augustíssima ómnium augustárum mérito celebráta est, egregiæque féminaliæ prudéntiam, nobilitátem ánimi, modéstiam singulárem, consuléndi sollértiam morúmque probitátem scriptóres illórum témporum láudibus prædicárunt. Illústre dedit magnanimitáris

exéplum, filias insectatóris Berengárii suam in aulam suscipiéndo. Mónachos observántiæ Cluniacénsis in impérium traducéndos ipsa curávit et, imperatóre defúncto, filio iúveni ádfuit pacificándo semper et consuléndo. Ipsa vel ornaménta sua ecclésiis, monastériis pauperibúsque distríbutit. Augustánam quoque ecclésiam Cathédrálem erigéndam ópibus constat eam lárgiter sublevásse. Annos nata duodecim septuagínta, anno ante millesimum vita decéssit.

Te Deum laudámus.

**AD LAUDES**

**V.** Diffusa est grátia in lábiis tuis. **R.** Proptérea benedíxit te Deus in æténum.

**Ad Bened. ant.** Date ei \* de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera eius.

## DIE 15 MARTII S. CLEMENTIS MARIAE HOFBAUER CONF.

### Oratio

Exáudi nos, Deus, salutáris noster: ut, sicut de beátæ Adelhéidis festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur aféctu. Per Dóminum.

Et fit commemoratio feriæ.

Mariám miro fidei róbore et invictæ constántiæ virtúte decorásti: eius méritis et exémplis fac nos, quæsumus, ita fortes in fide et caritaté fervéntes; ut præmia consequámur ætérna. Per Dóminum nostrum.

### Lectio III

in II Nocturno pro ecclesiis,  
quarum Titularis est

Die 15 martii  
**S. CLEMENTIS**  
**MARIAE HOFBAUER**  
Confessoris  
III classis

Tempore quadragesimali fit  
commemoratio in Laudibus  
tantum.

### AD LAUDES

**Ant.** Euge, serve bone \* et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constitua, intra in gáudium Dómini tui.

¶ Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ¶ Et osténdit illi regnum Dei.

### Oratio

Deus, qui beatum Cleméntem

Clemens María Hófbauer, Tassovítii in Marávia natus, adoléscens pistóriam artem dídicit, sed inter laboriósae artis exercítium ad stúdium litterárum cœpit incúmbere. Romæ in sancti Alfónsi Famíliam singulári Dei providéntia cooptátus est, quam ipsíus ópera in díssitas regiónes propagátum iri sanctus idem Parens palam prænuntiávit. Présbyter factus, Varsáviæ in Polónia primum suæ Congregatiónis eréxit domicílium, ibíque fidéles ad bonos mores revocávit, hæreticósque ad veram fidem addúxit et órphanis hospítium exstrúxit. Plures institúti sui domos

## DIE 5 APRILIS B. CRESCENTIÆ HœSS VIRG.

váriis in régionibus érigens, in diœcési quoque Augustána pôpulum verbo et exémplo mire erudívit. E Polónia cum suis expúlsus, Vindobónæ duó-decim postrémis vitæ annis ad Dei glóriam strénue operátus est. Vir apostólicus, Vindobonénsis cleri decus, Ecclesiæque cólumen, prope sepuagenárius Idibus mártii, anno millésimo octingentésimo vi-gésimo, obdormívit in Dómino.

Die 5 aprilis  
**S. CRESCENTIÆ**  
Hœss  
Virginis  
III classis

**AD MATUTINUM**  
**Bened.** Ad societátem.

Lectio III

María Crescéntia Hœss piis orta paréntibus, textrínæ labóribus vitam ducéntibus, Kaufbúræ in Suévia inter lutheránæ pericula innocénter adulescéntiam transégit, Deíparæ præsídio, cui

virginitatis florem devóvit. Ob inópiam plúries repulsa, tandem in Kaufburénse monastérium Tértii Ordinis sancti Francísci recépta est, ætatis suæ anno primo et vicésimo. Invídiam áliquot moniálium diu invícto ánimo tolerávit, donec innocéntia eius cónigita, singuláris eius sanctitatis præcónes ipsæ, quæ infénsæ fúerant, præ céteris evasérunt. Inferióribus officiis egrégie perfúncta, unánimi suffrágio totius ascetérii præses renuntiáta est. Fama sanctitatis eius totam Germániā, Baváriā, Hungáriā pervadénte, eam tamquam oráculum insígnes viri, civitátum optimátes, ipsíque reges consúltum adíbant. Leo décimus tértius miráculis claram iubilári anno millésimo nongentésimo beatárum Vírginum fastis adscrípsit.

Te Deum.

**AD LAUDES**

**V.** Diffúsa est grátia in lábiis tuis (**T. p.** Allelúia.) **R.** Prop térea benedíxit te Deus in

## DIE 5 APRILIS B. CRESCENTIÆ HœSS VIRG.

æténum. (T. p. Allelúia.)

**Ad Bened. ant.** Símile est regnum cælorum \* hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas: invénta una pretiosa, dedit ómnia sua, et comparávit eam. (T. p. Allelúia.)

### Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam beati Vincéntii Confessóris tui méritis et prædicatióne illustrare dignátus es: concéde nobis fámulis tuis; ut et ipsíus instruámur exémplis, et ab ómnibus, eius patrocínio, liberémur advérsis. Per Dóminum.

### Oratio

Deus, qui béata Crescéntia, Vírgine tua, christiánæ perfec-tiōnis exéplum misericórditer tribuísti: præsta, quæsumus; ut, eius imitatióni iúgiter in-hæréntes, glóriam consequámur æténum. Per Dóminum.

### AD VESPERAS

¶ Diffusa est grátia in lábiis tuis, allelúia. Rx Propterea benedíxit te Deus in æténum, allelúia.

**Ad Magnif. ant.** Veni, Sponsa Christi, \* áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in æténum, (T.p. allelúia.)

Et fit com S. Vincentii Fererii Conf:

**Ant.** Euge, serve bone \* et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

¶ Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. (T. p. Allelúia.) Rx Et osténdit illi regnum Dei. (T. p. Allelúia.)

## DIE 7 APRILIS S. HERMANNI JOSEPHI CONF.

Die 7 aprilis  
**S. HERMANNI JOSEPHI**  
Confessoris  
III classis

**AD MATUTINUM**  
**Bened.** Ad societátem.

### Lectio III

Hermánnus Colóniæ Agrippinæ secúndo exeúnte natus, a prima infántia tenérrima erga Deíparam Vírginem amóre refúlsit, quare inter álios innúmeros favóres beatíssima Virgo eum Ioseph vocári voluit. Puérulus Deíparæ ecclésiam frequentáre et imáginem, oblátis quoque puerílibus munúsculis, honoráre consuévit. Cum duódecim esset annórum, iam in ecclésia Steinfeldénsi amíctu níveo Ordinis Præmonstraténsis indútus est. Sacerdótio auctus, castítate humilitatéque præprímis excéluit, pluráque pia cármina compósuit. In monastério Cisterciénsum Hoviénsi, sénio conféctus virtutibúsque clarus, médio sæculo décimo tértio

suprénum diem óbiit, quem prophético spíritu prædixerat. Eius sanctitátis et miraculórum fama inde mirífice crevit, sepulcrúmque eius in monastério Steinfeldénsi factum est gloriósum. Pius autem duodécimus, Póntifex Máximus, sacræ Rítuum Congregatiónis votis obsecúndans, cultum Beáto Hermánno Iosépho, Sancto nuncupáto, ab immemorábili témpore præstítum, confirmáre dignátus est. Te Deum laudámus.

**V.** Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. (**T. p.** Allelúia.) **R.** Et osténdit illi regnum Dei. (**T. p.** Allelúia.)

**Ant.** Euge, serve bone \* et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui. (**T. p.** Allelúia.)

### Oratio

Deus, qui béatum Hermánnum Ioséphum Confessórem tuum in benedictiónibus dulcéinis a puerítia prævenísti:

## DIE 20 APRILIS S. CONRADI A PARZHAM CONF.

præsta, quæsumus; ut inno-  
céntis et sanctæ vitæ eius ves-  
tígiis insisténtes, ad cæléstem  
pátriam, in qua gloriósus ex-  
sultat, secúri perveniámus.  
Per Dóminum nostrum.

### AD VESPERAS

**V** Iustum dedúxit Dóminus  
per vias rectas, allelúa. **R** Et  
osténdit illi regnum Dei, al-  
lelúa.

**Ad Magnif. ant.** Hic vir de-  
spíciens mundum \* et terréna,  
triúmphans, divitias cælo cón-  
dedit ore, manu, allelúa.

Die 20 aprilis  
**S. CONRADI**  
**A PARZHAM**  
Confessoris  
III classis

**AD MATUTINUM**  
**Bened.** Ad societátem.

### Lectio III

Conrádus in vículo Parzham  
diòcésis Passaviénsis piis ho-

nestísque paréntibus natus, inde  
a púero modéstia et solitúdi-  
nis amóre, quanta futúrus es-  
set sanctitáte, præmonstrávit.  
Integra iuventúte, in agrórum  
cultúra transácta, ut Deo li-  
bérius famularétur, mundo va-  
ledícere státuit; quapropter,  
perámplo património abdicá-  
to, inter fratres láicos Ordinis  
Minórum Cappucinórum ad-  
numerári obtínuit. Statim ab  
emíssa professióne, ad sanctæ  
Annæ convéntum civitatis Ve-  
toettíngæ missus est, ibique  
ianitóris officio addíctus; quod ad  
óbitum usque máximo  
proximórum emoluménto in  
ómnibus tum ánime tum cór-  
poris necessitátibus exércuit.  
Erga Eucharístiam assíduo fla-  
grávit devotiónis afféctu, et  
Deíparam Vírginem tamquam  
matrem cotidiánis obséquiiis  
cóluit. Migrávit ad Dómi-  
num anno millésimo octingen-  
tésimo nonagésimo quarto,  
ætatis suæ septuagésimo quin-  
to compléto.

Te Deum laudámus.

DIE 27 APRILIS S. PETRI CANISII CONF. ET ECCL. DOCT.

AD LAUDES

dedit ore, manu, allelúia.

¶ Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúia. Rx. Et osténdit illi regnum Dei, allelúia.

Ant. Euge, serve bone \* et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui, allelúia.

Oratio

Deus, qui misericórdiaē tuæ iánuam fidélibus patére volústi: te súpplices exorámus; ut, intercedénte béato Conrádo Confessóre tuo, temporália sub-sídia nobis tríbuas et æterna. Per Dóminum nostrum.

AD VESPERAS

¶ Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúia. Rx. Et osténdit illi regnum Dei, allelúia.

Ad Magnif. ant. Hic vir de-spíciens mundum \* et terréna, triúmphans, divítias cælo cón-

Die 27 aprilis  
S. PETRI CANISII  
Confessoris et  
Ecclesiæ Doctoris  
II classis

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis præter ea, quæ hic habentur propria.

In I Nocturno

Abol. Exáudi.

Bened. Benedictióne.

DE LIBRO ECCLESIÁSTICI

Lectio i 39,1-5

Sapiéntiam ómnium antiquórum exquíret sápiens, et in prophétis vacábit. Narratióne virórum nominatórum conservábit, et in versútias parabolárum simul introíbit. Oc-culta proverbiórum exquíret, et in abscónditis parabolárum conversábitur. In médio magnatórum ministrábit, et in conspéctu præsidis apparébit. In terram alienigenárum génti-

## DIE 27 APRILIS S. PETRI CANISII CONF. ET ECCL. DOCT.

um pertránsiet; bona enim et mala in homínibus tentábit.

**R.** Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constíuam: \* Intra in gáudium Dómini tui, allelúa. **V.** Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. **I**ntra.

**Bened.** Unigénitus.

**Lectio ii** 39,6-10

Cor suum tradet ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur. Apériet os suum in oratióne, et pro delíctis suis deprecábitur. Si enim Dóminus magnus volúerit, spíritu intellegéntiae replébit illum: et ipse tamquam imbræ mittet eloquia sapiéntiae suæ, et in oratióne confitébitur Dómino: et ipse díriget consílium eius, et disciplínam, et in abscónditis suis consiliábitur.

**R.** Iustus germinábit sicut lí-

lium: \* Et florébit in ætérnum ante Dóminum, allelúa.

**V.** Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. **E**t.

**Bened.** Spíritus Sancti.

**Lectio iii** 39,11-14

Ipse palam fáciet disciplínam doctrínæ suæ, et in lege testaménti Dómini gloriábitur. Collaudábunt multi sapiéntiam eius, et usque in sæculum non delébitur. Non recédet memória eius, et nomen eius requirétur a generatióne in generatióнем. Sapiéntiam eius enarrábunt gentes, et laudem eius enuntiábit Ecclésia.

**R.** Iste cognóvit iustítiam, et vidit mirabília magna, et exorávit Altíssimum: \* Et invénitus est in número Sanctórum, allelúa. **V.** Iste est, qui contémptis vitam mundi, et per-vénit ad cælestia regna. **E**t.

In II Nocturno

**Abol.** Ipsíus píetas.

DIE 27 APRILIS S. PETRI CANISII CONF. ET ECCL. DOCT.

**Bened.** Deus Pater.

**Lectio iv**

Petrus Canisius, Noviomagi in Gélria eo ipso anno natus est, quo Luthérus in Germánia aperta rebellione ab Ecclésia descivit, et Ignatius de Loyola, in Hispánia, terréstri milítia abdicata, ad prælia Dómini se convértit, Deo nimírum portendente, quos ille post hac adversarios, quem sacræ militiæ ducem esset habiturus. Coloniæ Agrippinæ, quo studiorum causa concésserat, perpétuo castitatis voto se Deo obstrinxit, et paulo post Societati Iesu nomen dedit. Sacerdótio auctus, cathólicam fidem contra novatórum insídias legatiónibus, sermónibus, scriptis libris statim defendéndam suscépit. Ob præclaram sapiéntiam et explorátum rerum usum a Cardináli Augustáno et a pontificiis Legátis magnópere expetitus, semel atque íterum Concilio Tridentino intérfuit; cuius étiam decretá ex auctorité Pii quarti Pontíficis Máximi rite per

Germániam promulganda et in morem inducenda curávit. A Paulo quarto ad convéntum Petricoviénsem ire iussus, aliisque a Gregório décimo térito legatiónibus obeúndis adhíbitus, álacri semper et numquam fracto difficultatibus ánimo, gravíssima religiónis negótia tractávit, ac vel inter præséntia vitæ discrímina ad felicem éxitum perduxit.

**R**: Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: \* Et dedit illi claritatem ætérnam, allelúia. **V**: Iustum deduxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. **Et.**

**Bened.** Christus perpétuæ.

**Lectio v**

Supérmo caritatis igne, quem in Basílica Vaticána e penetrálibus Cordis Iesu olim copióse háuserat, inflammátus et divinæ gloriæ amplificandæ

## DIE 27 APRILIS S. PETRI CANISII CONF. ET ECCL. DOCT.

únice inténtus, dici vix pot-  
est, quot, per annos ámplius  
quadragínta, labóres suscépe-  
rit, ærumnásque pertúlerit, ut  
complúres Germániæ civitá-  
tes ac provincias vel ab hæré-  
seos contágine defénderet, vel,  
hæresi inféctas, cathólicæ fidei  
restitúeret. In Ratisbonénsi et  
Augustáno convéntu impérii  
próceres ad iura Ecclésiæ  
tuénda et mores populórum  
emendándos excitávit; in Wor-  
matiénsi insolescéntes impi-  
etátis magístros ad siléntium  
adégit. Per septem fere annos  
Augústæ Vindélicum in ec-  
clésia Cathédráli concionatóris  
múnere functus est. A sancto  
Ignátko Germániæ Superiórís  
provínciae præfectus, domos  
et collégia multis locis cóndi-  
dit. Plúries in civitáte Dilin-  
gána versátus, de académia car-  
dináli Ottóne fundáta eiúsque  
collégio óptime méritus est.  
Collégium Germánicum, Ro-  
mæ constitútum, omni ope  
provéhere atque amplificáre  
stúduit; in académia sacrá-  
num humanarúmque discipli-

nárum stúdia, miserándum in  
modum collápsa, instaurávit;  
contra Centuriatóres Magde-  
burgénses duo volúmina egré-  
gie concrípsit: et summam  
doctrínæ christiánæ, theolo-  
górum iudício et público tri-  
um sæculórum usu ubíque  
probatíssimam, aliáque com-  
plúra ad populórum institu-  
tionem valde accomodáta in  
vulgus édidit. Quámobrem,  
hæreticórum málleus et alter  
Germániæ apóstolus appellá-  
tus, plane dignus hábitus  
est, qui ad tuándam in Ger-  
mánia religiónem divínitus e-  
léctus putarétur.

**R.** Amávit eum Dóminus, et  
ornávit eum; stolam glóriæ  
índuit eum, \* Et ad portas pa-  
radísi coronávit eum, allelúa.  
**V.** Induit eum Dóminus lorí-  
cam fidei, et ornávit eum. **Et.**

**Bened.** Ignem sui amóris.

### Lectio vi

Inter hæc, precatiōne crebra  
et assídua rerum supernárum  
commentatiōne, lácrimis sæpe

## DIE 27 APRILIS S. PETRI CANISII CONF. ET ECCL. DOCT.

perfúsus et ánimo intérsum a sénsibus abdúcto, Deo se coniúngere sólitus erat. A viris principíbus vel sanctítate clarís-simis et a quátuor Summis Pontificibus magno in honó-re hábitus, ádeo de se demíssé sentiébat, ut se ómnium míni-mum et díceret et habéret. Vindobonénsem episcopátum semel, íterum ac tertio re-cusávit. Moderatóribus suis obsequentíssimus, parátus erat ad ipsórum nutum ómnia re-líquere aut aggredi, étiam cum valetúdinis et vitæ perí-culo. Voluntária sui ipsíus coercitióne castitátem perpé-tuo sepsit. Demum Fribúrgi Helvetiórum, ubi plúrimum pro Dei glória et salúte a-nimárum últimis vitæ suæ annis desudáverat, migrávit ad Deum die vicésima prima dé-cembri anno millésimo quin-gentésimo nonagésimo sépti-mo, ætatis suæ séptimo supra septuagésimum. Hunc vero strénum cathólicæ veritatis propugnatórem Pius Papa no-nus cælitum beatórum honó-

ribus adáuxit; novis autem fulgéntem signis Pius undéci-mus, Póntifex Máximus, anno iubilæi, sanctórum número accénsuit, simúlque Doctórem universális Ecclésiæ declarávit.

**R.** Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: \* Quia te vi-di iustum coram me ex óm-nibus géntibus, allelúia. **V.** Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cælés-tia regna. **Quia.** Glória Patri. **Quia.**

### In III Nocturno

**Absol.** A vínculis.

**Bened.** Evangélica léctio.

### Lectio iv

LÉCTIO SANCTI EVANGÉLII  
SECUNDUM MATTÆUM

### Lectio vii Cap. 5,23-19

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

DIE 27 APRILIS S. PETRI CANISII CONF. ET ECCL. DOCT.

HOMILÍA  
SANCTI PETRI CANÍSII  
PRESBÝTERI

Notæ in Evangelia, in festo  
S. Martini Ep., post initium.

Amábo et colam missos a Christo Apóstolos horúmque successóres in Evangélii sémine spargéndo sédulos et indeféssos propagándi verbi cooperatóres, qui iure testári possunt: Sic nos exístimet homo ut minístros Christi et dispensatóres mysteriorum Dei. Vóluit enim Christus ut vigilantíssimus ac fidelíssimus paterfamílias per tales minístros ac legátos lucérnam evangélicam igne cælitos demíssō accéndi et accénsam non módio suppóni, sed super candelábrum constítui, quæ suum splendórem longe latæque diffúnderet omnésque tum Iudeórum tum géntium vigéntes ténebras et erróres profligáret.

R. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est,

et de omni corde suo laudávit Dóminum: \* Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum, alleluía. ¶ Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, abstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. Ipse.

Bened. Cuius festum.

Lectio viii

Etenim evangélico Doctóri sat non est, verbo lucére pôpulo, et vocem in desérto clamántem præstare multísque in pietáte iuvándis lingua óperam dare, ne alióquin, si verbi ministérium prætermittat, canis mutus non valens latrare a prophéta dicátur. Sed et ardére illum opórtet, ut ópere atque caritáte instrúctus, munus suum ornet evangelicum. Paulúmque ducem sequátur. Is quippe non conténtus Ephesiórum epíscopo demandáre: Præcipe hoc et doce: labóra sicut bonus miles Christi Je-su: constánter etiam apud amícos et inimícos evange-

## DIE 27 APRILIS S. PETRI CANISII CONF. ET ECCL. DOCT.

lizávit, ac episcopis apud Ephesum colléctis bona dixit conscientia: Vos scitis, quómodo nihil subtráixerim útilium, quóminus anuntiárem vobis, et docérem vos públice et per domos, testíficans Judæis atque Gentílibus in Deum pænitentiam et fidem in Dóminum nostrum Jesum Christum.

**R.** In médio Ecclésiæ apéruit os eius, \* Et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus, allelúia. **V.** Iucunditatem et exsultatióne thesaurizávit super eum **Et.** Glória Patri. **Et.**

tium, et quidquid tandem at salútem est cuíque necessárium. Quocírca pulchre Christus, cum primários mundi Ecclesiæque, doctóres constitúere vellet, non sat hábuit discipulis dícere: Vos estis lux mundi: sed etiam illud subjécit: Non potest cívitas abscondi supra montem pósita, neque accédunt lucernam et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt. Errant enim opinántes ecclésiástæ, quod múnieri suo doctrinæ splendóre magis quam vitæ integritaté et caritatis ardóre possint satisfácere.

Te Deum.

**Bened.** Ad societátēm.

### Lectio ix

Talem enim pastórem decet esse in Ecclésia, qui more Pauli, ómnibus ómnium fiat, ut in illo repériat æger curatiónen, mæstus lætitiam, despérans fidúciam, imperítus doctrinam, dúbios consílium, poenitens véniam atque solá-

### AD LAUDES

**V.** Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúia. **R.** Et osténdit illi regnum Dei, allelúia.

**Ant.** Euge, serve bone \* et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constí-

## B. MARIÆ VIRG. PATRONÆ BAVARIÆ

tuam, intra in gáudium Dómini tui, allelúia.

### Oratio

Deus, qui ad tuéndam cathólicam fidem beátum Petrum, Confessórem tuum, virtúte et doctrína roborásti: concéde propítius; ut eius exémplis et mónitis errántes ad salútem resipíscant, et fidéles in veritatis confessióne persevérant. Per Dóminum nostrum.

### AD VESPERAS

V. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúia. Rx. Et osténdit illi regnum Dei, allelúia.

**Ad Magnif. ant.** O Doctor óptime, \* Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Petre, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei. allelúia.

Sabbato I maii

## IN SOLLEMNITATE B. MARIÆ VIRGINIS PATRONÆ BAVARIÆ

### I classis

Omnia de Communi festorum B. Mariæ Virginis, præter ea, quæ hic habentur propria.

### AD I VESPERAS

**Ant. 1.** Domináre, \* Virgo potens, in médio pópuli patocínio tuo confidéntis, allelúia.

**Ant. 2.** Habitáre fecit \* omnípotens Deus Vírginem Patrónam in terra nostra, Matrem filiórūm lætántem, allelúia.

**Ant. 3.** Fiat pax \* Dómina nostra, in virtúte tua et abundántia in túrribus tuis, allelúia.

**Ant. 4.** Ecce \* Virgo María, heréditas tua: filii iucúndo corde tibi devóti, allelúia.

**Ant. 5.** Confortávit \* Dómi-

## B. MARIÆ VIRG. PATRONÆ BAVARIÆ

nus seras portárum tuárum et  
benedíxit filiis tuis in te, alle-  
lúia.

**Capit.**                   **Eccli. 24,14**

Ab inítio et ante sæcula créa-  
ta sum, et usque ad futúrum  
sæculum non désinam, et in  
habitatióne sancta coram ipso  
ministrávi.

**Prima strophe sequentis Hymni  
dicitur flexis genibus.**

### Hymnus

Ave, maris stella,  
Dei mater alma  
atque semper virgo,  
felix cæli porta.  
Sumens illud 'Ave'  
Gabriélis ore,  
funda nos in pace,  
mutans Hevæ nomen.  
Solve vincla reis,  
profer lumen cæcis,  
mala nostra pelle,  
bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem,  
sumat per te preces,  
qui pro nobis natus,  
tulit esse tuus.

Virgo singuláris,  
inter omnes mitis,

nos culpis solútos  
mites fac et castos.

Vitam præsta puram,  
iter para tutum,  
ut vidéntes Jesum  
semper collætémur.

Sit laus Deo Patri,  
summo Christo decus,  
Spirítui Sancto  
tribus honor unus.  
Amen.

**V.** Ora pro nobis, sancta Pa-  
tróna Baváriæ, allelúia.

**R.** Ut digni efficiámur promis-  
siónibus Christi, allelúia.

**Ad Magnif. ant.** Ecce, María \*  
erat spes nostra, ad quam  
confígimus in auxílium, ut  
liberáret nos, et venit in ad-  
iutorium nobis, allelúia.

### AD II VESPERAS

**Ad Magnif. ant.** Benedícant  
te, \* Patróna clementíssima,  
omnes generatiónes: quia fecit  
tibi Dóminus magna, qui po-  
tens est, allelúia.

## B. MARIÆ VIRG. PATRONÆ BAVARIÆ

### Oratio

Deus, qui dilécti Fílii tui Genetrícem nobis Matrem ac Patrónam dare dignátus es: concéde propítius; ut sub hu- ius Matris tutéla ab omni hóstium defendámur incúrsu, et sine timóre in sanctitáte et iustítia tibi serviámus. Per eúndem Dóminum.

in tuam hanc famíliam. Constrínge nos suávibus tuis, Mater, ampléxibus; nos redde gratos Fílio sanctóque reple gáudio. Iesu, tibi sit glória qui natus es de Vírgine, cum Patre, et almo Spíritu, in sempitérna sæcula. Amen.

### AD MATUTINUM

**Invitat.** Christum Regem ad- orémus \* Et Maríam collaudé- mus, piám nostram Dóminam, allelúia.

**Ps. 94** Veníte, exsultémus.

### Hymnus

Supérni Sponsa Fláminis, propitiátrix hóminis, María, Virgo régia, plena laudáris grátia.

Compésce carnis fómitem hostísque sævi rábiem; terréna da despícere, supérna concupíscere.

Baváriæ præsídium; da robur, fer auxílium; de cælis rora grátiam

### In I Nocturno

**Ant.** Tu refúgium nostrum, \* tu auxiliátrix nostra, Virgo María: ora pro nobis Dómi- num, allelúia.

Sub qua sola antiphona dicun- tur tempore paschali tres psal- mi huius Nocturni.

Psalmi trium Nocturnorum de Communi festorum B. Mariæ Virginis.

**V.** Spécie tua et pulchritúdine tua, allelúia.

**R.** Inténde, próspere procéde, et regna, allelúia.

**Absol.** Exáudi.

**Bened.** Benedictióne.

## B. MARIÆ VIRG. PATRONÆ BAVARIÆ

### DE PARÁBOLIS SALOMÓNIS

#### Lectio i      Prov. 2,10-15

Si intráverit sapiéntia cor tuum,  
et sciéntia ánimæ tuæ placúe-  
rit: consílium custódiet te, et  
prudéntia servábit te, ut eru-  
áris a via mala, et ab hómine,  
qui pervérsa lóquitur, qui re-  
línquunt iter rectum, et ám-  
bulant per vias tenebrósas:  
qui lætántur cum malefécen-  
tint, et exsúltant in rebus pés-  
simis: quorum viæ pervérsæ  
sunt, et infámes gressus eó-  
rum.

R. Sicut cedrus exaltáta sum  
in Líbano, et sicut cypréssus  
in monte Sion: quasi myrrha  
elécta, \* Dedi suavitátem odó-  
ris, allelúia.

V. Et sicut cinnamómum et  
bálsamum aromatízans. Dedi.

Bened. Unigénitus.

#### Lectio ii      Prov. 3,21-26

Fili mi, ne éffluant hæc ab ó-  
culis tuis. Custódi legem at-  
que consílium: et erit vita  
ánimæ tuæ, et grátia fáucibus

tuis. Tunc ambulábis fiduciá-  
liter in via tua, et pes tuus  
non impínget: si dormíeris,  
non timébis; quiésces et su-  
ávis erit somnus tuus. Ne pá-  
veas repentíno terróre, et ir-  
ruéntes tibi poténtias impi-  
órum. Dóminus enim erit in  
látere tuo, et custódiet pe-  
dem tuum, ne capiáris.

R. Quæ est ista, quæ procéssit  
sicut sol, et formósa tam-  
quam Ierúsalem? \* Vidérunt  
eam filiæ Sion, et beátam di-  
xérunt, et regínæ laudavérunt  
eam, allelúia.

V. Et sicut dies verni circúm-  
dabant eam flores rosárum et  
lília convállium. Vidérunt.

Bened. Spíritus Sancti.

#### Lectio iii      Prov. 8,12-17

Ego sapiéntia hábito in con-  
sílio, et erudítis intérsum co-  
gitatiónibus. Timor Dómini  
odit malum: arrogántiam, et  
supérbiam et viam pravam, et  
os bilingue detéstor. Meum  
est consílium et æquitas, mea

## B. MARIÆ VIRG. PATRONÆ BAVARIÆ

est prudéntia, mea est fortitudo. Per me reges regnant, et legum conditores iusta decernunt. Per me príncipes imperant et potentes decernunt iustitiam. Ego diligentes me dílico: et qui mane vigilant ad me, invénient me.

**R.** Ornátam monílibus filiam Ierúsalem Dóminus concupivit: \* Et vidéntes eam filiæ Sion, beatissimam prædicavérunt, dicéntes: \* Unguéntum effúsum nomen tuum, allelúia.

**V.** Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. **Et.** Glória Patri. **Unguéntum.**

**V.** Adiuvábit eam Deus vultu suo, allelúia. **R.** Deus in médio eius, non commovébitur, allelúia.

**Absol.** Ipsíus píetas.

**Bened.** Deus Pater.

### Lectio iv

Bavariæ régiones, quarum, teste ipso Summo Pontífice Pio séptimo, nullæ florentiores ob cathólicæ religionis stúdium in orbe terrarum fuérunt, iam antíquitus singulári quadam erga beatissimam Vírginem Mariám devotíone excellébant. Cuius rei documénta sunt perantiqua ecclésia Augustána, ecclésia metropolitána Monacénsis, ecclésia cathédralis Spirénsis permultáque ália et in antíquis et in recéntibus Bavariæ pártibus tempa et sanctuária Mariána, sive venerábili antiquitaté conspícuia, sive continua peregrinántium frequentatíone celeberrima. Idem testántur sodalítates vel congregatiōnes sub eiúsdem gloriósae Vírgi-

### In II Nocturno

**Ant.** Ad te, sancta Dei Génetrix \* clamávimus, et per te venit Dómini auxílium nobis, allelúia.

**Sub qua sola antiphona dicuntur tempore paschali tres psalmi huius Nocturni.**

## B. MARIÆ VIRG. PATRONÆ BAVARIÆ

nis præsídio institúta ac stá-  
tuæ et imágines Mariánæ  
ubílibet piæ fidélium venera-  
tíoni propósítæ in fróntibus  
domórum, in platéis et cóm-  
pitis, iuxta agros et campos,  
inter obscúra silvárum et su-  
per cacúmina móntium.

**R** Sub tuum præsídium con-  
fúgimus, sancta Dei Géne-  
trix; nostras deprecationes ne  
despícias in necessitátibus: \*  
Sed a perículis cunctis líbera  
nos semper, Virgo gloriósa et  
benedícta, allelúa. **V** Regína  
mundi et pátriæ Patróna digníssima,  
intercéde pro nostra  
pace et salúte. **Sed.**

pletavérunt, álii Matrem per-  
doléntem sive Vírginem sine  
mácula concéptam pie vene-  
rándo súbditis suis præclára  
exémpla dedérunt. Capéllam  
præsértim régiam Oettingá-  
nam, in qua ab antiquíssimis  
iam tempóribus státua thau-  
matúrga Deíparæ Vírginis im-  
péñse cólitur, piis et pretiosis  
munéribus cumuláre ibique  
preces ex ánimo fúndere so-  
lélant. Quin étiam post mor-  
tem, máximi amóris vínculis  
cum Patróna augustíssima con-  
iúnctos se esse pie profite-  
bántur córdibus suis urnis ar-  
génteis inclúsis et in ipso sanc-  
tuário illo Mariáno recónditis.

**Bened.** Christus perpétuæ.

### Lectio v

Cultus istíus Mariáni fautóres  
exstitérunt præcípui Baváriæ  
duces ac príncipes. Alii iam  
inde ab ævo médio monasté-  
ria quædam celeberrima sub  
invocatione et nómine beátæ  
Mariæ Vírginis dedicavérunt et  
munificéntia vere régia locu-

**R** Beáta es, María, Mater  
Christi, quia ex te mundi sa-  
lus advénit, et gloriósa fulges  
ante Dóminum. \* Quaprópter  
ora pro tuis fámulis ad  
Salvatórem nostrum ac Fíli-  
um tuum, allelúa. **V** Sancta  
María Virgo, intercéde pro  
his, qui nostræ pátriæ regími-  
ni præsunt, quæ genuísti Re-  
gem orbis. **Quaprópter.**

## B. MARIÆ VIRG. PATRONÆ BAVARIÆ

**Bened.** Ignem sui amóris.

### Lectio vi

Quibus aliisque documéntis luculénter appáret, regíones Baváricas titulum insígnem regni Mariáni iure promeréri. Quod apérte significávit Maximiliánus élector primus, qui in fronte paláti sui novi státuam Mariánam título 'Patróna Boiáriæ' insignítam dedicávit ac póstea, cum eiúsdem cælestis Patrónæ intercessióne præcláram victóriam reportáasset, grata memória áltérat státuam in foro público erigéndam curávit in honórem beátæ Maríæ Vírginis, quam verbis et scriptis Bói-cam Dóminam salutávit. Ex ea ætáte titulus beátæ Maríæ Vírginis Patrónæ Baváriæ tantam auctoritátem obtínuit, ut nummis et monuméntis públicis fréquénter impóni incíperet. Ludovíci demum tértii, Regis, qui iam, priúsqam regno potirétur, Oettingæ sollémnem cathólicæ fidei et pietatis erga beatíssimam Vírginem professiónem palam

édere non dubitáverat, préci-bus peramánter ánnuens, Benedíctus Papa décimus quintus immáni bello per Euró-pam grassántem, eádem Vírginem Maríam totius Baváriæ principálem apud Deum Pa-trónam supréma sua auctori-táte constitútuit eiúsque sub e-ódem título sollemnitaté in cunctis Baváriæ diœcésibus cum Offício et Missa própriis sub ritu dúplici primæ classis celebrándam concéssit.

**R.** Quasi arcus refúlgens inter nébulas et quasi flos rosárum in diébus vernis et quasi lília in tránsitu aquæ: \* Sic fulget Virgo immaculáta, allelúia. **V.** Arcum meum ponam in núbibus et erit signum fœderis mei vobíscum. **Sic.** Glória Pa-tri. **Sic.**

### In III Nocturno

**Ant.** Non recédat \* laus tua, Virgo María, de ore hómi-num, qui mémores fúerint vir-tútis Dómini in æténum, pro

## B. MARIÆ VIRG. PATRONÆ BAVARIÆ

quibus non pepercísti ánimæ  
tuæ, allelúia.

**Sub qua sola antiphona di-**  
**cuntur tempore paschali tres**  
**psalmi huius Nocturni.**

¶ Elégit eam Deus, et præ-  
elégit eam, allelúia. Rx In ta-  
bernáculo suo habitáre facit  
eam allelúia.

**Absol.** A vínculis.

**Bened.** Evangélica léctio.

### Lectio vii

LÉCTIO SANCTI EVANGÉLII  
SECÚNDUM JOÁNNEM

**Lectio vii**                   **Cap. 2,1-11**

In illo témpore: Núptiæ fac-  
tæ sunt in Cana Galiaeæ, et  
erat Mater Iesu ibi. Vocátus  
est autem et Iesus, et discípuli  
eius ad núptias. Et réliqua.

HOMILÍA  
SANCTI PETRI BERNÁRDI  
ABBÁTIS

Sermo de spiritualibus nuptiis

Hic nonnúmquam vinum dé-  
ficit, gráta scilicet devotónis  
et fervor caritatis. Quóties  
mihi necésse est, fratres, post  
lacrimósas querimónias vestras  
exoráre Matrem misericór-  
diæ, ut súggerat suo benig-  
níssimo Fílio, quóniam vi-  
num non habeátis? Et ipsa,  
dico vobis, caríssimi, si pie a  
nobis pulsáta fúerit, non dée-  
rit necessitati nostræ, quóniam  
misericors est et Mater  
misericordiæ; nam si compás-  
sa est verecundiæ illórum, a  
quibus fúerat invitáta, multo  
magis compatiétur nobis, si  
pie fúerit invocáta.

Rx Felix namque es, sacra  
Virgo María, et omni laude  
digníssima: \* Quia ex te ortus  
est sol iustitiæ, Christus, De-  
us noster, allelúia. ¶ Ora pro  
pósito, intéreni pro clero,  
intercéde pro devóto femi-  
neo sexu: séntiant omnes tu-  
um iuvámen, quicúmque cé-  
lebrant tuum sanctum pa-  
trocínium. Quia.

## B. MARIÆ VIRG. PATRONÆ BAVARIÆ

**Bened.** Cuius ... ipsa Virgo.

### Lectio viii

Sed quem non móveat, quod in núptiis illis respóndit Dóminus benigníssime sanctíssimæ Matri suæ, dicens: Quid mihi et tibi est, múlier? Quid tibi et illi est, Dómine? Nonne, quod filio et matri? Quid ad illam pértinges, quæreris, cum tu sis benedíctus fructus ventris eius immaculáti? Nonne ipsa est, quæ, salvo pudóre, concépit et sine corruptióne te péperit? Nonne ipsa est, in cuius útero novem ménsibus morátus es, cuius virgíneis ubéribus lactátus es, cum qua iam duódecim annórum factus, de Ierúsalem descendísti et eras súbditus illi? Nunc ergo, Dómine, quid moléstus es illi, dicens: Quid mihi et tibi? Multum per omnem modum.

**R.** Erit in novíssimis diébus mons præparátus Vírgini Máríæ in vértice móntium et elevábitur super cœlos, et ibunt pôpuli multi et dicent: \*

Veníte et ascendámus ad montem, allelúia. **V.** Sicut lætántium ómnium habitátio est in te. **V.** Veníte. **G.** Glória Patri. **V.** Veníte.

**Bened.** Ad societátem.

### Lectio ix

Sed maniféste iam vídeo, quod non velut indígnans aut confúndere volens Vírginis Matris téneram verecúndiam díixeris: Quid mihi et tibi: cum, veniéntibus ad te iuxta Matris præcéptum minístris, nihil cunctátus, fárias, quod illa suggéssit. Ut quid ergo, fratres, ut quid sic respondébat prius? Utique propter nos, ut convérsos ad Dóminum iam non sollícitet carnálium cura paréntum, et necessitúdines illæ non impédiant exercítium spirituále. Quámdiu enim de mundo sumus, debitóres nos constat esse paréntibus; at postquam reliquimus nosmetípsos, multo magis ab eórum sollicitúdine líberi sumus. Optime ergo nos dócuit

## B. MARIÆ VIRG. PATRONÆ BAVARIÆ

Dóminus, ne sollíciti simus super propínquis carnis nostre plus quam relígio póstulet, quando ipsi Matri et tali Matri, respóndit: Quid mihi et tibi est, múlier? Te Deum.

### AD LAUDES et per Horas

**Ant. 1** Párata, \* Regína cælórum, sedes tua ex tunc: patrocínio tuo firmávit Dóminus terram nostram, allelúia.

#### Psalmi de dominica 1 loco.

**Ant. 2** Pópulum suum \* Dóminus et oves páscuæ suæ pósuit sub tua tutéla, victrix serpéntis antíqui, allelúia.

**Ant. 3** In velaménto \* protectionis tuæ exsultábimus, Virgo gloriosíssima: nos suscépit déxtera tua, allelúia.

**Ant. 4** Benedícant te \* omnes una voce dicéntes: Tu glória Ierúsalem, tu honoríféntia pópuli nostri, allelúia.

**Ant. 5** Reges terræ \* et om-

nes pópuli, senes cum iunióribus laudent nomen tuum, dulcíssima Dei Génetrix María, allelúia.

**Capit.** Eccli. 24,14

Ab inítio et ante sæcula créata sum, et usque ad futúrum sæculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi.

### Hymnus

Auróra soli prævia,  
felix salútis núntia,  
in noctis umbra plebs tua  
te, Virgo, supplex ínvocat.

Torrens nefástis flúctibus  
cunctos trahens vorágine,  
leni resídit æquore,  
cum transit Arca fœderis.

Fatále virus évomens  
attóllit anguis vérticem;  
at tu dracónis túrgidum  
invícta cónteris caput.

Mater benígna, résponce  
fletus precésque súpplicum,  
et dimicántes, tártari  
victrix, tuére ab hóstibus.

Iesu, tibi sit glória,  
qui natus es de Vírgine,

## B. MARIÆ VIRG. PATRONÆ BAVARIÆ

cum Patre, et almo Spíritu,  
in sempitérna sæcula.  
Amen.

℣ Ora pro nobis, sancta Pa-  
tróna Baváriæ, allelúia.

℟ Ut digni efficiámur promis-  
siónibus Christi, allelúia.

**Ad Bened. ant.** Gloriósae \*  
Vírginis Maríæ patrocínium  
digníssimum recolámus, cu-  
ius honor præstat beneficia  
populórum et orátio perdúcit  
ad regna cælórum, allelúia.

### Oratio

Deus, qui dilécti Fílli tui Ge-  
netrícem nobis Matrem ac  
Patrónam dare dignátus es:  
concéde propítius; ut sub hu-  
iis Matris tutéla ab omni hó-  
stium defendámur incúrsu, et  
sine timóre in sanctitaté et  
iustitia tibi serviámus. Per e-  
úndem Dóminum nostrum.

**Ad Horas psalmi de domini-  
ca, ad Primam tamen ut in  
festis; et ad eam in Respon-  
sorio brevi versus** Qui natus  
es de María Vírgine.

### AD TERTIAM

**Capit.** Eccli. 24,14

Ab inítio et ante sæcula creá-  
ta sum, et usque ad futúrum  
sæculum non désinam, et in  
habitatióne sancta coram ipso  
ministrávi.

℟ br. Spécie tua et pul-  
chritúdine tua, \* Allelúia, alle-  
lúia. Spécie. ℣ Inténde, prós-  
pere procéde, et regna. Alle-  
lúia, allelúia. Glória Patri.  
Spécie.

℣ Adiuvábit eam Deus vultu  
suo, allelúia. ℟ Deus in mé-  
dio eius, non commovébitur,  
allelúia.

### AD SEXTAM

**Capit.** Eccli. 24,15-16

Et sic in Sion firmáta sum, et  
in civitáte sanctificáta simíli-  
ter requiévi, et in Ierúsalem  
potéstas mea. Et radicávi in  
pópulo honorificáto, et in  
parte Dei mei heréditas illíus,  
et in plenitúdine sanctórum  
deténtio mea.

## B. MARIÆ VIRG. PATRONÆ BAVARIÆ

R<sub>x</sub> br. Adiuvábit eam Deus vultu suo \* Allelúia, allelúia.  
**A**diuvábit. V<sub>y</sub> Deus in médio eius, non commovébitur. Allelúia, allelúia. **G**lória Patri.  
**A**diuvábit.

V<sub>y</sub> Elégit eam Deus, et præelégit eam, allelúia. R<sub>x</sub> In tabernáculo suo habitáre facit eam, allelúia.

### AD NONAM

**Capit.** Eccli. 24,19-20

In platéis sicut cinnamónum et bálsamum aromatízans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

R<sub>x</sub> br. Elégit eam Deus, et præelégit eam, \* Allelúia, allelúia. **E**légit. V<sub>y</sub> In tabernáculo suo habitáre facit eam. Allelúia, allelúia. **G**lória Patri.  
**E**légit.

V<sub>y</sub> Diffúsa est grátia in lábiis tuis, allelúia. R<sub>x</sub> Propterea benedíxit te Deus in ætérnum, allelúia.

### Oratio

Deus, qui dilécti Fílli tui Genetrícem nobis Matrem ac Patrónam dare dignátus es: concéde propítius; ut sub huius Matris tutéla ab omni hóstium defendámur incúrsu, et sine timóre in sanctitáte et iustítia tibi serviámus. Per eúndem Dóminum.

### AD II VESPERAS

Omnia ut ad I Vespertas præter:

V<sub>y</sub> Ora pro nobis, sancta Patróna Bavariæ, allelúia.

R<sub>x</sub> Ut digni efficiámur promisiónibus Christi, allelúia.

**Ad Magnif. ant.** Benedícant te, \* Patróna clementíssima, omnes generatiónes: quia fecit tibi Dóminus magna, qui potens est, allelúia.

## DIEBUS 13 ET 16 MAII

Die 13 maii  
**S. ROBERTI  
BELLARMINO**  
Ep., Conf. et Eccl. Doct.  
III classis

Die 16 maii  
**S. JOHANNIS  
NEPOMUCENI**  
Martyris  
III classis

Commemoratio Translationis  
S. Udalrici Ep. et Conf.:

AD MATUTINUM

**AD LAUDES**  
**Ant.** Sacérdos et Póntifex, et  
virtútum ópifex, pastor bone  
in pópulo, ora pro nobis Dó-  
minum, allelúa.

¶ Amávit eum Dóminus et  
ornávit eum, allelúa. Rx Sto-  
lam glóriæ índuit eum, alle-  
lúa.

**Oratio**  
Da, quæsumus, omnípotens  
Deus, ut Translatiónis beáti U-  
dalríci Confessóris tui atque  
Pontíficis veneránta sollém-  
nitas, et devotiónem nobis  
áugeat et salútem. Per Dómi-  
num nostrum.

Bened. Ad societátem.

**Lectio iii**

Johánnes de Pomuk, filius  
Welflíni, circa annum millé-  
simum trecentésimum septu-  
agésimum cléricus Pragénsis,  
imperiáli auctoráte múnere  
notárii pùblici functus est.  
Sacerdótio auctus, vir egrégia-  
e índolis Pragæ iuris canónici  
baccaláureus, Patávii vero de-  
cretórum doctor promótus est.  
Archiepíscopus Pragénsis Jo-  
hánnem, inter canónicos co-  
optátum, diœcésis vicárium  
generálem constituit. Vir Dei  
iura Ecclésiæ fórtiter contra  
regem Wencesláum deféndit,  
qui illum in cárcerem detrú-  
sum tormentísque vexátum  
tandem in Moldávam flumen,  
Pragam intérfluens, noctu dé-  
ícere fecit. Iam apud æquáles

## DIE 16 MAII S. JOHANNIS NEPOMUCENI MART.

præcipua occisiōnis rātio sa-  
cramentāle sigillum, constán-  
ter a Johánnē contra regis  
contentiōnem servátum, af-  
firmabátur. Amplius trecéntis  
post mortem annis, in iurídi-  
ca córporis recognitiōne, sanc-  
ti Mártyris lingua incorrúpta  
et vívida repérta est. Bene-  
díc tus décimus tértius, Pónti-  
fex Máximus, primum hunc  
sacramentális sigilli assertó-  
rem sanctórum Mártyrum ca-  
tálogo adscrípsit.

Te Deum laudámus.

### AD LAUDES

℣ Pósui ori meo custódiam,  
allelúia. ℥ Cum consísteret  
peccátor advésum me, alle-  
lúia.

**Ad Bened. ant.** Quicúmque \*  
glorificávit me, glorificábo eum:  
qui autem contémnunt me,  
erunt ignóbiles, allelúia.

### Oratio

Deus, qui ob invíctum beáti  
Johánnis sacramentāle silénti-  
um nova Ecclésiam tuam mar-

týrii coróna decorásti: da no-  
bis eius intercessiōne et ex-  
émplo, linguam caute custo-  
díre; ac ómnia pótius mala,  
quam ánimæ detriméntum, in  
hoc sæculo toleráre. Per Do-  
minum.

**Et fit com. S. Ubaldi Episco-  
pi et Confessoris:**

**Ant.** Euge, serve bone et  
fidélis, quia in pauca fuísti  
fidélis, supra multa te constí-  
tuam, dicit Dóminus, allelú-  
ia.

℣ Iustum dedúxit Dóminus  
per vias rectas, allelúia. ℥ Et  
osténdit illi regnum Dei, al-  
lelúia.

### Oratio

Auxílium tuum nobis, Dó-  
mine, quæsumus, placátus im-  
pénde: et, intercessiōne beáti  
Ubáldi Confessóris tui atque  
Pontíficis, contra omnes diá-  
boli nequítias déxteram super  
nos tuæ propitiatiónis extén-  
de. Per Dóminum nostrum.

## DIE 5 IUNII S. BONIFATII EP. ET MART.

### AD VESPERAS

V. Pósui ori meo custódiam,  
allelúia. Rx. Cum consísteret  
peccátor adversum me, alle-  
lúia.

**Ad Magnif. ant.** In conspéctu  
poténtium \* admirábilis ero,  
et fácies príncipum mirabún-  
tur me: tacéntem me susti-  
nélunt, et loquéntem me re-  
spíciant, allelúia.

### Oratio

Deus, qui ob invictum beáti  
Johánnis sacramentálē silénti-  
um nova Ecclésiam tuam mar-  
tírii coróna decorásti: da no-  
bis eius intercessióne et ex-  
émplo, linguam caute custo-  
díre; ac ómnia pótius mala,  
quam ánimæ detriméntum,  
in hoc sæculo toleráre. Per Dó-  
minum nostrum.

Die 5 iunii  
**S. BONIFATII**  
Episcopi et Martyris  
II classis

Omnia de Communi Mar-  
tyrum tempore paschali, præ-  
ter ea, quæ hic habentur pro-  
pria.

In I Nocturno Lectiones A  
Miléto, de Communi unius  
Martyris extra tempus pas-  
chale, cum responsoriis pro  
tempore paschali.

### In II Nocturno

Absol. Ipsíus.  
Bened. Deus Pater.

### Lectio iv

Bonifátius, ántea Winfrídus  
appellátus, apud Anglos natus  
est exeúnte sæculo séptimo,  
et ab ipsa infántia mundum  
aversátus, vitam monásticam  
in votis hábuit. Cum eius pa-  
ter ánimum sæculi illécebris  
permutáre frustra tentáset,  
monastérium ingréditur, et  
sub beáti Wolphárdi disci-  
plína ómnium virtútum, ac

## DIE 5 JUNII S. BONIFATII EP. ET MART.

scientiarum génere imbúitur. Annum agens trigésimum sacerdótio insignítur, ac verbi divíni prædicátor assíduus, magno animárum lucro hoc in múnere versátur. Attamen regnum Christi adaugére désiderans, contínuo flebat in géntem multitúdinem barbarórum, qui ignorántiae ténebris immérsi dæmoni famulabántur. Qui quidem animárum zelus cum in dies inexstinguibili ardóre accrésceret, divino númine per lácrimas et oratiónes exploráto, facultátem a monastérii præpósito obtinuit ad Germánicas oras proficiscéndi.

**R**ex Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, \* Et æternitas téporum, allelúia, allelúia. **V** Lætitia sempitérna erit super cápita eórum: gáudium et exultatióne obtinébunt. **E**t.

**Bened.** Christus perpétuæ.

### Lectio v

Ex Anglia duóbus cum sóciis

navem solvens, Dorestádium in Frisiæ óppidum venit. Cum autem bellum gravíssimum inter Frísonum regem Radbódum, et Cárolum Martél-lum exarsísset, sine fructu Evangélium prædicávit: Quapropter in Angliam revérsus, ad suum redívit monastérium, cui invítus præficitur. Post elápsum biénnium ex consénsu epíscopi Vintonién-sis munus abdicávit, et Romam profectus est, ut apostóli-ca auctoritaté ad gentílium conversiónem delegarétur. Cum ad Urbem pervenísset, a Gregório secúndo benigne excípitur, pro Winfrido Bonifátius a Pontífice nominátur. In Germániam diréctus, Thuringiæ Saxoniæque pópolis Christum annuntiávit. Cum intérea Radbodus Frisiæ rex ac infestíssimus christiáni nómminis hostis occubuísset, Bonifátius ad Frísones rédiit, ubi sancti Willibrórdi sócius per triénnium tanto cum fructu Evangélium prædicávit, ut destrúc-tis idolórum simulá-

## DIE 5 JUNII S. BONIFATII EP. ET MART.

cris, innúmeræ vero Deo ecclesiæ excitaréntur.

**R.** In servis suis, allelúia, \*

Consolábitur Deus, allelúia.

**V.** Iudicábit Dóminus pópulum suum, et in servis suis.

Consolábitur Deus, allelúia.

**Bened.** Ignem sui amóris.

### Lectio vi

A sancto Willibrórdo ad episcopále munus expetítus, illud detrectávit ut prómptius infidélium salúti instáret. In Germániam profectus, plura Hassórum mília a dæmonis superstitione avocávit. A Gregório Pontífice Romam evocátus, post insígnem fidei professiónem episcopus consecrátur. Exinde ad Germániam redux, Hássiam, et Thuringiam ab idololatriæ reliquiis pénitus expurgávit. Tanta propter mérita Bonifátius a Gregorio tértio ad dignitátem archiepiscopálem evéhitur, et tértio Romam profectus a Summo Pontífice Sedis apos-

tólicæ legátus constitúitur. Qua insignítus auctorité quatuor episcopátus instítuit, et várias sýnodos celebrávit, inter quas concílum Leptinése memorabile est apud Belgas in Cameracénsi diœcési celebratum, quo quidem témpore ad fidem in Bélgio adaugéndam egrégie cónculit. A Zacharia Papa creátus Moguntínus archiepíscopus, ipso Pontífice iubénte Pipínum in regem Francórum unxit. Post mortem sancti Willibrórdi Ultraiectéensem ecclésiam gubernándam suscépit, primo per Eóbanum, deínde per seípsum, dum ab ecclésia Moguntína absolútus Ultraiecti resédit. Frisónibus ad idololatriam relápsis, Evangélium prædicáre rursus aggréditur, cumque officio pastoráli occuparétur, a bárbaris et ímpiis homínibus iuxta Bornam flúvium cum Eóbano coëpiscopo, multisque áliis cruénta cæde perémptus martyrii palma condecorátur. Corpus sancti Bonifáti, Mogúntiam trans-

## DIE 5 JUNII S. BONIFATII EP. ET MART.

látum, et, ut ipse vivens pétierat, in Fuldénsi monastério, quod exstrúxerat, recónditum fuit, ubi multis mítaculis incláruit. Pius autem nonus Póntifex Máximus, eius Offícium et Missam ad univérsam Ecclésiam exténdit.

**R** Fíliæ Ierúsalem, veníte et vidéte Mártyres cum corónis, quibus coronávit eos Dóminus \* In die sollemnitatis et lætitiæ, allelúia. **V** Quóniam confortávit seras portárum tuárum, benedíxit filios tuos in te. In. Glória Patri. In.

cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli eius. Et réliqua.

### HOMILÍA SANCTI AUGUSTÍNI EPÍSCOPI

#### Liber 1 de Sermone Domini in monte, cp. 2

Beáti mundo corde: quóniam ipsi Deum vidébunt. Quam ergo stulti sunt, qui Deum istis exterióribus óculis quærunt, cum corde videáatur, sicut álibi scriptum est: Et in simplicitate cordis quærite illum. Hoc est enim mundum cor, quod est simplex cor. Et quemádmodum lumen hoc vidéri non potest, nisi óculis mundis: ita nec Deus vidétur, nisi mundum sit illud, quo vidéri potest. Beáti pacífi: quóniam ipsi filii Dei vocabúntur. In pace perféctio est, ubi nihil repúgnat, et ídeo filii Dei pacífi, quóniam nihil in his résistit Deo, et útique filii similitúdinem patris habére debent.

#### In III Nocturno

**Absol.** A vínculis.

**Bened.** Evangélica léctio

#### Lectio iv

LÉCTIO SANCTI EVANGÉLII  
SECÚNDUM MATTÆUM

#### Lectio vii Cap. 5,1-12

In illo témporte: Videns Jesus turbas, ascéndit in montem et

**R** Ego sum vitis vera, et vos

## DIE 5 JUNII S. BONIFATII EP. ET MART.

pálmites: \* Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, allelúia, allelúia. ¶ Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. Qui.

**Bened.** Cuius festum.

### Lectio viii

Pacífi ci autem in semetípsis sunt, qui omnes ánimi sui motus componéntes, et subiciéntes ratíoni, id est menti et spirítui, carnalésque concupiscéntias habéntes edómitas, fiunt regnum Dei. In quo ita sunt ordináta ómnia, ut id quod est in hómine præcípum et excéllens, hoc ímp eret, céteris non reluctántibus, quæ sunt nobis bestiásque commúnia: atque idípsum quod excéllit in hómine, id est mens et rátio, subiciá tur potíori, quod est ipsa véritas, unigénitus Fílius Dei. Neque enim imperáre inferióribus potest, nisi superióri se ipse subíciat. Et hæc est pax, quæ datur in terra homínibus bonaë voluntáti s: hæc vita con-

summáti perfectíque sapiéntis.

¶ Cándidi facti sunt Nazaræi eius, allelúia; splendórem Deo dedérunt, allelúia: \* Et sicut lac coaguláti sunt, allelúia, allelúia. ¶ Candídiores nive, nitidióres lacte, rubicundióres ébore antíquo, saphíro pulchrióres. Et. Glória Patri. Et sicut.

**Bened.** Ad societátem.

### Lectio ix

De huiúsmodi regno pacatísimo et ordinatíssimo missus est foras princeps huius sæculi, qui pervérsis inordinatísque dominátur. Hac pace intrínsecus constitúta atque firmitá, quascúmque persecutiónes ille, qui foras missus est, forínsecus concitáverit, auget glóriam quæ secúndum Deum est; non áliquid in illo ædificio labefáctans, sed deficiéntibus máchinis suis innotescere fáciens quanta firmitas intus exstrúcta sit. Ideo

## DIE 5 JUNII S. BONIFATII EP. ET MART.

séquitur: Beáti, qui persecuciónem patiúntur propter iustitiam: quóniam ipsórum est regnum cælórum.

Te Deum laudámus.

### AD LAUDES

℣. Pretiósia in conspéctu Dómini, allelúia. ℥. Mors Sanc-tórum eius, allelúia.

**Ad Bened. ant.** Filiæ Ierúsalem, \* veníte et vidéte Mártyres cum corónis, quibus coronávit eos Dóminus in die sollemnítatis et lætitiæ, allelúia, allelúia.

### AD VESPERAS

℣. Pretiósia in conspéctu Dómini, allelúia. ℥. Mors Sanc-tórum eius, allelúia.

**Ad Magnif. ant.** Sancti et iusti \* in Dómino gaudéte, allelúia: vos elégit Deus in hæreditátem sibi, allelúia.

### Oratio

Deus, qui multitúdinem populórum, beáti Bonifatii Mártyris tui atque Pontíficis zelo, ad agnitióinem tui nóminalis vocáre dignátus es: concéde propítius; ut, cuius solémnia cólimus, étiam patrocínia sentiámus. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit.